



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Fragmentvm Epistolae IX. Caelestini Papae III. Ad Archiepiscopvm
Senonensem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

FRAGMENTVM EPISTOLÆ IX.
CÆLESTINI PAPÆ III.
AD ARCHIEPISCOPVM SENONENSEM.

*Iubet vt Francorum regem moneat recipere uxorem prætextu
consanguinitatis dimissam.*

Nos itaque, qui ipsum regem Francorum specialiter in visceribus nostris caritatis diligimus, per dilectum filium nostrum C. subdiaconum apostolicæ sedis legatum, ad hoc specialiter missum, rogauimus eundem, vt reginam suam, quam a se consilio iniquo amouerat, affectu maritali tractaret: nec illis aures accommodaret qui pro lucro reputant, si possunt inter aliquos odium & discordiam seminare. Inde est quod illam diuortii sententiam, contra iuris ordinem prolatam, de fratrum nostrorum consilio penitus irritantes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus firmiter & præcipimus, quatenus, si prædictus rex, ista viuente, aliam superducere voluerit, vos auctoritate apostolica id eidem inhibere curetis.

EPISTOLA X.

CÆLESTINI PAPÆ III.
AD HVBERTVM CANTVARIENSEM
ARCHIEPISCOPVM.

De negotiis terræ sanctæ.

Vos autem, fratres archiepiscopi & episcopi, quibus cura animarum & sollicitudo commissâ est, precibus instantes ad Dominum incessanter, subditos vobis populos inducatis, vt assumpto crucis signaculo ad confutandos fidei Christianæ persecutores accingantur. Speramus siquidem, & vos sperare debetis, quod Dominus in verbo prædicationis & orationis vestræ rete laxabit in capturam, & tales ad defensionem orientalis prouinciæ propitius excitabit, quorum potius exigentia meritorum, quam armorum fiducia exurget Deus, & inimici eius dissipabuntur, & fugient a facie eius qui oderunt eum. Nos autem illis, qui pro diuinitatis amore huius peregrinationis laborem assumere, &, quantum in se fuerit, implere